



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 44. Concilium Palentinum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

## §. XLIII.

*Urbanus redit Romam.*

Sæcul XIV.

A.C. 1388.

Papa Urbanus contendebat semper regnum Neapolitanum suum solius esse, neque vel Ludovicum Andegavensem, vel Ladislaum agnoscebat Regem. Illuc venturus relicta sub medium Augustum Perusia cum exercitu Narniam petebat. Sed Perusia tantum decem milia passuum aberat, cum mulus, quo vehebatur, tam duriter in terram corruit, ut Papa multis in membris vulneraretur. Non tamen reverti Perusiam, sed Tibur trans Romam situm portari voluit. Delatum prope pontem hujus aliquem, ac pernoctare ibi cogitantem adibant multi Romani, orabantque magnopere, ut sedem repeteret suam: sed nihil agere se videntes discedebant. Papa procedens longius per Campaniam Ferentinum usque deferri se curavit. At stipendiis militi numerandis impar appropinquante hyeme, vellet, nollet, redire Romam cogebatur, quam ineunte Octobri intravit paucos habens obvios, & parum honorifice acceptus.

*Th. Niem.*  
c. 69.

## §. XLIV.

*Concilium Palentinum.*

Eodem tempore Cardinalis Petrus Lunius Clementis in Hispania Legatus Palen-

Sæcul. XIV.

A. C. 1388.

*to. II. conc.*

p. 2068.

*Sup. lib. 92.*

§. 65. c. 1.

c. 2. 7.

c. 5.

c. 6.

Palentiæ quadam Castiliæ urbe in templo Fratrum Minorum habuit concilium, cui aderant Rex Joannes I, Archiepiscopi Toleti, Compostellæ, ac Hispalis, & Episcopi viginti quinque. Edebantur ibi septem canones, quorum duo commendant observationem concilii Vallisoletani an 1322 habiti. Admonentur Episcopi, cæterique Judices ecclesiastici, ut Clericos ex præscripto canonum emendent. Renovantur pœnæ irrogatæ adulteris, Clericisque concubinas habentibus: sed non occupantur remedia his flagitiis arcendis opportuna. Prohibetur, ne bona Ecclesiæ alienentur, onerenturve prædicatoris obligationibus. Judæis, Maurisque inter Christianos habitantibus præscribitur disciplina civilis, præsertim pro festorum observatione. Hi canones promulgati sunt 4 Octobris anno 1388.

## §. XLV.

*Joannes Montesonius condemnatur.*

Avenione continuabatur actio in Joannem Montesonium: & Universitas Parisina, ut publicam totius rei notitiam daret omnibus, circummisit litteras datas 14 Febr. anno 1387, nempe 1388 ante Pascha. Clemens cognitores decrevit tres Cardinales, Guidonem Malesecum Prænestinum Episcopum, duosque Pres-

*Duboulai**to. 4 p. 621.**Vitæ PP.**to. 2. p. 997.*

byte-